



PRÆFATIO

priori Editioni à B. Autore præmissa

Anno clō Ioc LXXVIII.

LECTORI BENEVOLO SALUTEM
IN CHRISTO!



Andem itaque, juvante Dominò, contingit, quod futurum, ne per somnium quidem, cogitavi unquam. Nimirum evulgantur, instigantibus ita tum Viris Amicisque Magnis, tum Auditoribus pristinis, PRÆLECTIONES MEÆ PUBLICÆ IN PSALMOS, quas olim Lipsiæ, inde ab Anno 1640. ad usque Annum 1657. tanquam Linguae Sanctæ Professor Publicus, tradideram de cathedra. Novi, descriptas eas passim, nec citra mendas plurimas: prout nimirum auditor atque scriba assequi valuerant docentem, eatenus vel probè, vel mutilè, vel alienè, derivabantur ad alios, quæ non nisi correctissimè optabantur iisdem inservire. Utut verò urgerent subinde tum typographi, tum rerum harum studiosi, descriptionem publicam ac plenam; obstabant tamen tum occupationum plurimarum concatenata series, tum remoræ nonnullæ aliæ, quæ ne relectionem quidem permittebant parturienti. Tandem tamen, cum & vitam academicam, & huic annexas functiones cæteras, vis superior deferere juberet penitus, novumque in Aulâ (quantum inhorruerim, Tu nosti, DEUS OPTIME,) subire munus, allubuit iterum, sanctæ recreationis causâ, Academicas denuò relegere nonnihil (nam plenè & ex votò nec hîc datum fuit,) opellas. Adscripseram verò subinde notulis primis non pauca passim reperta; quæ sanè, ut & prima, limam requisivissent longè exactiorem: verùm si hanc omninò expectâssem diutiùs, haut dubiè non elimata, sed eliminata fuissent tandem omnia, inque spongiam incubuisset Augusti Ajax. Quapropter nolens volens exhibui tandem, prout reperièbam ea, in quibus aliquid fortasse delitescit commodi, aut quod piis saltem mentibus ansam dare potest cogitandi de re sacrâ uberiùs ac meliùs. Hispida, fateor, hilulca, minùsque cohærentia non rarò Tibi, Lector erudite, movebunt nauseam; verùm, si pius es ac eruditus, scio veniam apud Te mihi paratam. Liceat hic mihi verbis uti B. Hieronymi: (*epist. 28. ad Lucinium f. m. 103.*) *Opuscula mea, quæ non sui meritò, sed tuâ bonitate, desiderare te dicis, ad describendum hominibus tuis dedi, & descripta vidi in chartaceis codicibus; ac frequenter monui, ut conferrent diligentius & emendarent. Ego enim tanta volumina præ frequentia commeantium, & peregrinorum turbis, relegere non potui, unde si paragrammata repereris, vel minùs aliqua descripta sunt, quæ sensum legentis impediunt, non mihi debes imputare, sed tuis & imperitiæ notariorum, librorumque incuria, qui scribunt, non quæ inveniunt, sed quod intelligunt: &*

):():(

dum